4

OPVSCVLA MVLTIFORMIA

VNO VOLVMINE COLLECTA

QVAE SINT POSTREMA PAGINULA DOCEBIT.



Parvum parva decent: non omnia possumus omnes.





ROMAE MDCCCXXX.
EX TYPOGRAPHIA PEREGO-SALVIONIANA
PERMISSV PRAESIDVM.

IOSEPHO BARALDIO

ARCHIPRESBYTERO ECCLESIAE CATHEDRALIS MVTINENSIS

DOCTORI DECVRIALI PHILOSOPHIAE MORALIS

MODERATORI EPHEMERIDOS

DE RELIGIONE RE LITTERARIA ETC.

DOMINICVS ANTONIVS MARSELLA

S. P. D.

Aetas jam ingravescens, multoque etiam magis caecus, molestusque, quo ab hinc plures annos non leviter excrucior morbus, cum nequaquam sinant amplius ad politioris humanitatis studia, quibus vel maxime delectabar, incumbere, ut aliquid solatii quaererem, et simul otium, taediumque, quantum quidem fieri posset, amoverem, nonnulla parva opuscula, eaque multiformia dudum elaborata, numquam tamen, ut oportebat, dolata, raptim colligenda, typisque evulganda curavi. Quid tum inde? vix prelo commissis, cum facti me valde poenituit, quod veritus, ne re tam propere, nec satis considerate confecta, plura fortasse irrepsissent, quae non demissa solum per aures, sed oculis etiam subjecta fidelibus, acriter improbanda, non modo risu excipienda viderentur. Cum vero jacta jam esset alea, id mihi consilii reliquum esse intellexi, ut ea, quantulacumque essent, tibi inscriberem, atque attente expendenda committerem. Ita enim de

eadem, ut ajunt, fidelia duos dealbare posse parietes visum, ut et aliquam, quamvis tenuem, mei in te officii, ac benevolentiae significationem, uti percupiebam, palam exhiberem, et in gravissimo tuo judicio plane acquiescens, omni liberarer metu, si nihil, inscitiae vero, aut imprudentiae me ipsum ingenue arguerem, si quid peccasse deprehenderis, rescripseris. Equidem novi quam occupata tua sint tempora vel in animarum salute procuranda, vel in operibus elucubrandis, in quibus non tam facile internoscitur, utrum rerum gravitas, an sermonis venustas, perspicuitas, verborumque volubilitas magis eluceant, vel in aliis rite obeundis muneribus, quae non parvo religioni, ac litterariae reipublicae ornamento sunt, et usui. Sed si quid subsecivi temporis aliquando nactus, pro officiosa, quae tibi mecum familiaritate, ne graveris, rogo, ea patienter pervolutare, ita tamen, ut amici prorsus exuens, Aristarchi vero personam induens, quid ipse sentias, libere, aperteque significare non dubites. Neque aliud hic dicam, neque quidquam vel cursim attingam, quo perspectam, exploratamque modestiam tuam vel minimum videar offendere. Hoc addam unum, quod persuasissimum habeas velim, me quidquid valeam, valeo certe quidem parum, vel potius nihil, id omne valere tibi, cum in eorum numero me esse ex animo profiteor, qui tibi dicatissimi.

Romae XIV. KAL. *Apriles* AN. MDCCCXXX.

DE B. MARIA VIRGINE IN CAELVM EVECTA

ORATIO

HABITA AD PIVM VII. PONT. MAX.

In Sacello Burghesiano Basilicae Liberianae in Exquiliis

XVIII. KAL. SEPTEMBR. AN. MDCCCI.



Quod erat optandum maxime, Beatissime Pater, et quod unum ad Mariae Virginis honorem, et gloriam plene, cumulateque amplificandam maxime pertinere videbatur; id divino prorsus consilio perfectum solemni hoc die, uti ab vetustissimis temporibus traditum accepimus, festo ritu recolimus. Quo enim haec tanta celebritas? quo anniversaria haec sacra? quo denique amplissimus hic terrarum orbis consessus, nisi ut quam sane singularibus a Deo beneficiis cumulatam, summis honoribus auctam in terris perspeximus, eamdem nunc in caelum evectam votis omnibus, ac laudibus prosequamur?

Quod quidem ei merito, atque optimo jure contigisse fatendum est. Haec enim ea, quae ab aeterno ordinata, ac primaevae labis omnino nescia, tota pulcra ex ore Altissimi prodivit, ut quasi aurora consurgens, justitiae Solem jam jam oriturum portenderet, qui offusas mortalibus tenebras discu-

teret. Haec, quam nuntius de caelo missus, et gratiâ plenam, et benedictam inter mulieres salutavit, et cujus ex ore, nutuque Deus ipse in homine redimendo veluti pendere visus est. Haec, quae plena Deo, ac divino fecunda Spiritu, arca foederis, tabernaculum Dei cum hominibus, sacrarium omnis divinitatis, caelestis sponsa aeque, ac mater constituta. Haec demum ea, quae sine ullâ integerrimae virginitatis jacturâ illum nobis praebuit, qui tametsi splendor sit gloriae, et figura substantiae Patris, factus est ex muliere, ut universum humanum genus ab daemonis captivitate, in quam primi parentis culpâ misere fuerat conjectum, redimeret, vindicaret.

At quae tamen una longe ante alias tantam invenit gratiam apud Dominum, ut iis honoris, ac dignitatis ornamentis plenâ manu cumulata, quae nemo unus ex mortalibus non dicam exoptare, sed ne cogitare quidem umquam potuisset, nihil certe aliud semper spectandum, nihil conandum curavit, nisi ut qualem se jam antea caelesti nuntio fuerat professa, talem etiam se Domini ancillam perpetuâ vitâ praestaret, et quae certe Deo maxima mulierum, eadem vel minima hominibus videretur. Quamquam enim regio Davidicae stirpis sanguine orta, quae Judae sceptrum tamdiu obtinuerat, ceteris tamen Israëlis matribus permixta ne minimam quidem umquam avitae vel dignitatis, vel auctoritatis speciem prae se ferre visa fuit. Ita cum Fi-

lius in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, tum verò ecquis, nisi aliunde nosset, eam Dei etiam, uti erat, non hominis tantum matrem et habuisset, et praedicasset? Quod si vel obscuram, vulgaremque vitae rationem, quo maxima quaeque Dei in ipsam merita et vigilantiùs custodiret, et celaret attentiùs, vel sane ingentem molestiarum, quâ paene obruta, molem, vel gladium acutum, qui ipsius animam in acerbissimâ Filii morte transfodit, penitùs inspiciamus, quis profecto non intelligat, dicere quam verissime posset: *Exsaltata autem, humiliata sum, et conturbata: defecit* quippe *in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus?*

Respexit igitur Deus humilitatem ancillae suae, et post mortalis hujusce vitae usuram: Exue te, inquit, stolâ luctus, et vexationis tuae, et indue te vestimento laetitiae, indue decore, et honore ejus, quae a Deo tibi est, gloriae sempiternae. Implevi jam splendoribus animam tuam, haud patiar nunc corpus tuum videre corruptionem; sed circumdabo te diploide justitiae, et ponam diadema regni in capite tuo, et faciam te regnare. Et sane quae una ex omnibus illius simillima fuerat inventa, qui cum in formâ Dei esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens, eadem quoque digna, quae in ejusdem gloriae partem esset vocata.

An vero vel bonitatis, vel Dei majestatis omni-

no fore videbatur, ut sub mortis imperio illius Mater diu perculsa jaceret, qui resurrectio est, et vita? ut caro, ex quâ victima illa efficta, quae caeli portas hominibus reseravit, in caelum et ipsa quam primum non eveheretur? ut corpus, quod ne vel minimum quidem non modo avitâ primi parentis noxâ, sed neque ullâ vel levi Adae filiis communi labe umquam infectum, eorum maledicto esset obnoxium, et quod hîc in terris Dei tabernaculum exstiterat, in aeterna statim tabernacula non deduceretur? Tum scilicet et quam Dei Matris infinita propemodum dignitas postulabat, plane cumulata, et quam sibi Christus devictâ morte comparaverat, longe cumulatior gloria videbatur, cum Virgo Mater in aethereas evecta sedes adstitisset Regina a dextris ejus circumdata varietate.

Quâ quidem ex re in hac sacrâ Virginis triumpho die, cum corporis nequaquam liceat, mentis saltem oculis Israëlis arcam suspiciamus, quae aliquamdiu sub pellibus in deserto commorata, evolat tamdem super pennas ventorum, atque ab vero David caelesti excipitur Jerusalem. Mihi quidem videre videor obviam ei certatim prodeuntes et veterum Patrum coetum, qui eam procul jam adspexerant, ac salutaverant, et Prophetarum agmen, qui venturam, et Matrem aeque, ac Virginem futuram tanto ante praedixerant, et Martyrum cohortem, praesertim vero quos lucis ipso

in limine Christi insecutor sustulit, ceu turbo nascentes rosas, et singulas quasque caelestis militiae acies, qui omnes caelo, terrâque potenti Dominae plaudentes, alternis concinunt: Attollite jam portas principes vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit REGINA gloriae. Ecce enim quae pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. Veni innixa super dilectum tuum: veni, coronaberis. Tum vero amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim; positusque est thronus matri Regis, quae sedit ad dexteram ejus: prorsus ut quae caelestium donorum copiâ, atque honoris amplitudine mortalibus ceteris quam maxime praestabat, eadem quoque gloriâ, et potestate longe, multumque antecelleret.

Quid porro nos exsules adhuc filii Hevae in anniversariâ hac triumphantis Virginis gratulatione, nisi ut laetantibus Angelis, Caelitibusque exsultantibus concinamus? Fecit tibi Dominus magna; ecce enim ex hoc beatam te dicent omnes generationes. Cum vero in altissimo illo dignitatis gradu sit collocata, eâque praedita potestate, ut, cum a Deo discesseris, nulla major possit inveniri, quanam in communi omnium laetitiâ praecipuâ nos praeter ceteros voluptate perfundemur? quibus gaudiis exsultabimus? Quid enim sperare ab eâ non liceat, quae sane materno in omnes est animo, praesertim vero in hanc Urbem, quam placido semper

vultu respicere, ac singulari quodam suae tutelae praesidio tueri ostendit, cum pluribus quidem nominibus, tum vel maxime, quod veritatis magistra, sacrorum moderatrix, eum complectitur, qui in Ecclesiae totius principatu Petro succedens, vicariam Christi hîc in terris gerit operam? Laetemur igitur, atque hodierno die exsultemus ut cum maxime tam praesentissimo Virginis patrocinio; simul et tanta ejus in nos merita eâ, quâ par est, gratâ animi benevolentiâ prosequamur, ut et supplicibus cumulemus semper altaria donis, atque omnes unà et mente, et voce adprecemur: *Tu maxima Virginum, maxima Matrum: Tu et tutèla praesens, spes et fidissima Romae principis urbium, respice perpetuò de caelo, et vide, et visita Urbem hanc, tuo potissimum numini, majestatique dicatam.*



DE DIE FESTO OMNIVM SANCTORVM

ORATIO

HABITA AD PIVM VII. PONT. MAX.

In Sacello Pontificio Quirinali

KALENDIS NOVEMBRIBVS AN. MDCCCXXI.

Salve festa dies, Beatissime Pater, quae tam candida, ac laeta nobis omnibus illucescis, ut terrestris haec Jerusalem cum caelesti illâ consociata alternis hymnis, et canticis eum certatim collaudet, qui in excelso sedet throno, et cui soli omnis honor, et gloria. Videre scilicet mihi videor hodierno die tot cum millibus Angelorum millium turbam illam magnam caelestium civium, quam dinumerare nemo potest, qui omnes procidentes ante sedentem in throno, et adorantes viventem in saecula saeculorum, cantant canticum novum: *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, quoniam redemisti nos in Sanguine tuo, et fecisti nos Deo nostro regnum.* Enimvero laetis hisce dum personat laudibus caelestis urbs Jerusalem, caeli corusca civitas, profecto nos almae Sionis aemuli illi canentes sociemur oportet, quippe qui cives jam Sanctorum, et domestici Dei ejusdem gloriae participes speramus aliquando futuros. Num quid enim nobis ju-

cundius, num quid praestabilius, quam ut admirantes intueamur tot caelestis regni incolas, qui eâdem, quâ nos, mortali carne induti, peregrini et ipsi hic in terris quondam fuerunt. Quid porro aequius, et congruentius, quam ut eorum victorias, triumphosque, quanto maximo licet, laetitiae, ac pietatis sensu concelebremus?

Exsultant igitur Sancti in gloriâ, laetantur in cubilibus suis. Quam enim dilecta tabernacula tua, Domine, virtutum! quam gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei! Fundamenta siquidem ejus in montibus sanctis omni lapide pretioso ornata: singulae portae ejus singulis micantes margaritis; et platea civitatis aurum mundum tamquam vitrum perlucidum. Neque jam templum in eâ est, sed Dominus Deus omnipotens templum illius, et agnus: neque civitas haec eget sole, neque lunâ, ut luceant in eâ, sed claritas Dei illuminat eam, et lucerna ejus est Agnus.

Jam vero hoc in tabernaculo Dei cum hominibus, nonne Deus ipse habitat cum eis, et ipsi populus ejus sunt, et Deus ipse cum eis erit perpetuò eorum Deus? Ita non esurient ipsi, neque sitient ampliùs; non cadet super illos sol, neque ullus aestus; sed absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Hinc porro quinam effusi laetitiae motus! quae magna mentis gaudia! cum Deum i-

psum non jam per speculum, et in aenigmate, sed videant facie ad faciem, et cognoscant, sicut et cogniti sunt. Inebriantur videlicet ipsi ab ubertate domus Dei, proptera quod Dominus laetificat eos in gaudio cum vultu suo, et torrente voluptatis potat eos, cum Agnus illorum sit fons vitae, et in lumine ejus videant lumen. Quamquam quis ignorat, quod neque oculus vidit, neque auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum?

At quinam isti sunt, qui ascenderunt in montem Domini, et jam stant in loco sancto ejus? Ecce tibi ante omnes, quae se humilem Domini ancillam professa, summo Dei Genitricis honore fuit dignata, et cujus animam in acerbissimâ Filii morte doloris gladius pertransivit, quae tamen nunc amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim, positusque est thronus matri Regis, quae sedet ad dexteram ejus.

Inde vero et tot Angelorum millia adstantium ante thronum, et collaudantium Dominum; et qui vocatus ab utero matris suae, vox fuit clamantis in deserto, et praeivit ante faciem Domini parare vias ejus; et qui Genitricis Dei Sponsus, idemque illius nutritor, et custos, quem misit Deus Filium suum, factum ex muliere, ut deleret, quod adversus nos erat chirographum decreti, affigens illud cruci.

Post hos sese offert veterum Patrum coetus, qui

humani generis Redemptorem procul jam adspexerant, ac salutaverant, simul et Prophetarum agmen, qui eum in tempore venturum, et tam dira ab hominibus passurum tanto ante praedixerant.

Age jam inspiciamus, quem undeni alii comitantur. Ille quidem Apostolorum Princeps, cui traditae claves Regni caelorum, et cujus fides numquam defectura, neque in iis, qui hac eâdem Romanâ in Cathedrâ deinceps collocandi. Multum hic orat pro populo Dei, maxime vero pro eo, qui arcano divinae Providentiae consilio eâdem nunc in Cathedrâ sedet, ut Deus pro totius Christianae reipublicae bono dies super dies ejus adjiciat. Sunt autem omnes, quorum sonus exivit in omnem terram, et verba in fines orbis terrae, ut Christi fidem barbaris quibusque gentibus, ac disjunctissimis populis annuntiarent, eosque ad justitiam erudirent. Ut fulgent, ac fulgebunt ipsi quasi stellae in perpetuas aeternitates! et cum venerit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebunt et ipsi super sedes duodecim judicantes duodecim Tribus Israël.

Sed quinam exercitus ille prope innumerus, qui omnes longo ordine stant amicti stolis albis, et palmae in manibus eorum? Hi nimirum sunt, qui venerunt ex magnâ tribulatione, et pro testamento Dei sua corpora tradiderunt; et laverunt stolas suas, ac dealbaverunt eas in sanguine Agni. Dominus porro quasi holocausta accepit eos, et posuit in capite eorum coronas de lapide pretioso.

Neque jam minor conspicienda cohors vel eorum, quos eremus incolas transmisit astris caelitum, vel illarum, quae candida gestantes lilia, sequuntur Agnum, quocumque ierit, vel denique ceterorum omnium, qui carnem suam crucifixerunt, ut mortificationem Christi Jesu in eorum corpore circumferrent, et conformes fierent imaginis Filii Dei. Sunt enim (quis nesciat?) non modo ex cunctis gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, verum etiam ex omni omnino et ordine, et conditione, et aetate, et sexu, qui omnes gratias nunc agentes Deo, qui deduxit illos in viâ mirabili, et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum nocte, tamquam scintillae in arundineto discurrunt, et habitantes in tabernaculo Domini, requiescunt in monte sancto ejus in saecula.

Jam vero nos in tantam, tamque cumulatam caelestium civium gloriam intuentes, laetemur utique in Domino, et exsultemus in tam insigni die solemnitatis eorum, qui facti jam amici Dei pervenerunt ad caelestia regna, et coronati possident palmam. Quam quidem palmam nos etiam post mortalis hujusce vitae stadium accepturos aliquando sperare debemus ab eo, qui vere mirabilis in Sanctis suis, affatim reddit eis mercedem laborum eorum, ut nos etiam beati inhabitemus in domo Domini, et in saecula saeculorum laudemus eum.

DE DIE NATALI

S. IOANNIS BAPTISTAE

ORATIO (*)



Caelitum omnium festi dies, Beatissime Pater, si ab Dei Genitrice discesseris, ii profecto aguntur, cum ipsi ex mortalis hujusce vitae statione ad caelestem illam, beatamque patriam laetantes tamdem demigrarunt. Tum enim tot perfuncti periculis, tot defessi laboribus, tot coronati palmis, tot triumphis illustres immensum illud gloriae pondus, atque immarcescibilem consequuti sunt coronam, quam iis omnibus praeparavit Deus, qui bonum certamen certarunt, cursum consummarunt, fidem servarunt. At vero hodierno die natalem illius solemniter recolimus, qui a Prophetis, atque ab Angelo praenuntiatus, quique vocatus, et simul Spiritu sancto repletus ex utero matris suae, ut pararet vias Domini, et rectas faceret semitas ejus. Hoc autem quid illustrius? quid honorificentius, omnique admiratione, et praedicatione dignius? Quod dum ego in tam augusto loco, atque in hoc amplissimo terrarum orbis consessu ad breviter commemorandum pro viribus ag-

---

(*) Habenda quidem coram Pont. Max., at numquam habita.

gredior, quaeso, obtestorque te, Beatissime Pater, ut me dicentem benignitate tua recrees, et sustentes, ne rerum gravitate obrutus videar deficere.

Quae igitur, et quam mira Baptistae nativitatem vel praecedere, vel comitari, vel subsequi visa sunt! Illa quidem tanto ante divinitùs praenuntiata: Ecce mitto Angelum meum, qui praeparabit viam ante faciem meam: priusquam te formarem in utero novi te, et antequam exires de ventre sanctificavi te, et Prophetam in gentibus dedi te: ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.

Neque vero id satis. Quamquam enim haec omnia tanto ante de Baptistâ per Prophetas Deus ipse praedixerat, nonne ejus adventante nativitate misit Deus idem Angelum suum, qui haec eadem annuntiaret Zachariae, ex quo erat ipse oriturus? Apparuit scilicet illi Angelus Domini stans a dextris altaris incensi; neque solum ejus ortum, sed nomen etiam praedixit, ac simul qui, quantusque futurus esset in tempore: Ne timeas Zacharia, uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem: erit enim magnus coram Deo, et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae, et praecedet ante illum in spiritu, et virtute Eliae parare Domino plebem perfectam. Quid, quod Zacharias tam nova, atque inaudita cum non ita facile credenda putasset, Archangelus Gabriel, unus ex iis, qui adstant ante Deum, vaticinia vatici-

niis, prodigia prodigiis addens, loquendi facultate non amplius eum usurum fuisse subdidit, dum praenuntiata obvenirent? Ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem, quo haec fiant.

Age jam, inspice Joannem in utero matris sexto vix mense exacto. Ecce tibi Maria, quae jam fecunda Deo, exsurgens abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda, et intravit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth. Quae autem salutatio istaec, quà non mater modo, sed Joannes etiam dignatus, ut Dei Genitrix, immo Deus ipse eum inviseret? Nulla profecto neque major, neque praestantior, propterea quod ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, haec quidem repleta sancto Spiritu cognovit matrem Domini sui, eamque benedictam praedicavit inter mulieres, et benedictum fructum, quem in ventre gestabat; infans vero exsultavit in gaudio in utero ejus, ,, et ,, quem, inquit Augustinus (1), non poterat voci- ,, bus, salutat motibus. ,, Ita Joannes in luminis auras nondum exortus non modo primi parentis labe jam omnino ablutus, et charismatum donis cumulatus, verum etiam divino concitus spiritu et praenovit, et praemonstravit, quem veteres Patres tantopere exoptarant, et quem Prophetae tanto ante adfuturum praedixerant Dei Agnum, qui tolleret peccata mundi. Qua de re quis cum Chrysologo non jure exclamet (2)? ,, Ante pervenit ad cae-

(1) *Serm.* ccxci. et v. in natal. S. Joan. Baptist. (2) *Serm.* xci.

„ lum , quam tangeret terram : ante accepit spi-
„ ritum divinum , quam humanum : ante suscepit
„ divina munera , quam corporis membra : ante
„ coepit Deo vivere , quam sibi . „

Jam si haec de Joanne priusquam vitales hasce hauriret auras , quae , et quanta, quaeso , ubi Elisabeth impletum est tempus pariendi , et peperit filium ? Quae nimirum gratulationes ! quae laetitiae , et exsultationis voces , quia magnificaverat Dominus misericordiam suam cum illâ ! qui porro timor super omnes vicinos eorum , et super omnia montana Judaeae , ubi divulgabantur omnia verba haec : Quis putas puer iste erit? etenim manus Domini erat cum illo . Tum enimvero apertum est os Zachariae , et repletus Spiritu sancto loquebatur dicens : Benedictus Dominus , quia visitavit , et fecit redemptionem plebis suae ; et quia natus jam puer , qui Propheta Altissimi futurus , quique praeibit ante faciem Domini parare vias ejus . Et sane (1) „ Propheta Joannes , et plusquam Pro-
„ pheta , immo ante prophetare , quam profari ,
„ prius Deum, quam seipsum sentire poterat , paren-
„ tes quoque suos Prophetas faciebat, et in eos, qui
„ in se transfuderant carnis substantiam, spiritus sui,
„ et gratiae superabundantiam infundebat . „

Quid porro aequius , quidve congruentius , quam ut (2) „ cum aliis in Sanctis , et electis Dei ea

---

(1) Guerricus Abbas *Serm.* 1. de Nativ. S. Joannis .

(2) *Serm.* CXCVI. in Append. oper. S. August. Tom. V.

„ colitur dies, quâ illos post consummationem la-
„ borum, et devictum, triumphatumque mundum
„ in perpetuas aeternitates praesens haec vita par-
„ turiit, et consummata ultimi diei merita cele-
„ brantur; tum vero in Joanne prima etiam dies,
„ et vel ipsa hominis initia consecrentur ?; Ni-
„ mirum Joannes nondum natus de secreto ma-
„ terni uteri prophetavit, et expers lucis jam te-
„ stis fuit veritatis; (1) neque ullam infantiae sen-
„ sit aetatem, qui supra naturam, supra aetatem, in
„ utero situs matris, a mensurâ perfectae coepit aeta-
„ tis plenitudinis Christi. „ Neque vero aliter fieri
„ posse videbatur, siquidem Joannes ex omnibus
„ divinitus selectus (2), qui lucerna esset ardens,
„ idest Spiritus sancti igne succensus mundo igno-
„ rantiae nocte possesso lumen salutis ostenderet, et
„ quasi inter densissimas delictorum tenebras splen-
„ didissimum justitiae Solem lucis suae radio demon-
„ straret, et de se ipso dicens: *Ego vox clamantis in*
„ *deserto, ut videat omnis caro salutare Dei*. „

Laetemur igitur quam maxime in hoc tam solemni Joannis natali die, et dum Christum sequuti dicimus: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*, festis etiam concinamus vocibus:

Serta ter denis alios coronant
Aucta crementis, duplicata quosdam,
Trina te fructu cumulata centum
Nexibus ornant, - Maxime Vatum.

(1) S.Ambrosius *in Luc.* L. 11. (2) *Serm.*cit.in Append.S.Aug.

DE PARENTALIBUS

PII VII. PONT. MAX.

Ad sanctae Mariae, cui ab precatione, et morte nomen.

Archisodalitas sanctae Mariae, cui ab precatione, et morte nomen hic in Urbe viâ Juliâ ad Tiberim, ut PIO VII. Pont. Max., et Sodali amplissimo, ingenti cum omnium moerore, ac luctu nuper defuncto, meritos, debitosque tribueret honores, justa solemnia solvenda curavit. Itaque sacra aede funereis pereleganter ornata peripetasmatis auro lemniscatis, et cereorum copiâ undique collucente, magnifico excitato funebri pegmate, cui splendida superposita lodix ex serico villoso, et auro intertexta, quam JOANNES TURLONIA Sabatiae, seu Braceni Dux, ac primus ejusdem Archisodalitatis Hetaeriarcha dono dederat, IX. Kal. Octobres an. MDCCCXXIII. primâ luce piacularia sacra peragi coepta, exinde Sodales frequentissimi statas pro defunctis horas rite concinuerunt, postremo sacris solemnibus cum cantu operatus Praesul CONSTANTINUS ex Marchionibus PATRICIIS XII. Vir urbanus sacri Consilii litibus judicandis, et ejusdem Archisodalitatis Gubernator, nunc vero Archiepiscopus Philippensis, et Abbas trium Fontium. Neque jam inscriptiones defuerunt, quae praeclara tanti Pontificis gesta singillatim referrent. Nam

In templi fronte .

PIO . VII. PONT. MAX.

ARCHISODALITAS . SANCTAE . MARIAE

CVI . AB . PRECATIONE . ET . MORTE . NOMEN

PRINCIPI . SACRATISSIMO . SODALI . AVGVSTO

DEBITOS . FVNERIS . HONORES

In utrisque interioris templi lateribus .

I.

PIVS . VII. PONT. MAX.

PETRI . NAVEM . SAEVIS . IACTATAM . FLVCTIBVS

SINGVLARI . PROVIDENTIA . IN . ARDVIS

MIRA . ANIMI . FIRMITATE . IN . ADVERSIS

INCOLVMEM . IN . PORTV . COLLOCAT

RELIGIONIS . VINDEX . ACERRIMVS

II.

PLVRES . CAELITVM . ORDINIBVS . ADSCRIBIT

SOCIETATEM . IESV . RESTITVIT

CLANDESTINIS . CONVENTIBVS . INTERDICIT

PONTIFICIAE . DITIONIS . PROVINCIAS . RECIPIT

OPTIMAS . DISCIPLINAS . AC . LIBERALES . ARTES

IN . SPEM . VETERIS . GLORIAE . ERIGIT

PONTIFEX . VIGILANTISSIMVS

PRINCEPS . MVNIFICENTISSIMVS

III.

MAXIMIS . CVMVLATVS . HONORIBVS

AB . QVIBVSQVE . GENTIBVS . ET . PRINCIPIBVS

NIHIL . DE . INNATA . MODESTIA . REMITTIT

HVMANITATE . BENIGNITATE . IMPERI . LENITATE

CVIQVE . CARISSIMVS

IV.

REM . CHRISTIANAM
TEMPORVM . ASPERITATE . AFFLICTAM . PERTVRBATAM
RELEVAT . COMPONIT
EPISCOPALES . SEDES . CONSTITVIT
LEGATOS . ET . VIROS . APOSTOLICOS
IN . AMERICAM . VSQVE . MITTIT
CATHOLICAE . RELIGIONIS . FIRMANDAE
ET . PROFERENDAE . CAVSSA
IN . DISIVNCTISSIMIS . ET . FLORENTISSIMIS
TERRAE . TRACTIBVS
PASTOR . DE . VNIVERSO . CHRISTI . GREGE . SOLLICITVS



INSCRIPTIONES

In justis funeribus regio apparatu solutis FERDINANDO I. utriusque Siciliae Rege ad sancti Spiritus Romae viâ Juliâ idib. sextil. an. MDCCCXXV.

In fronte templi

FERDINANDO . I.
VTRIVSQVE . SICILIAE . ET . IERVSALEM . REGI
PRINCIPI . OPTIMO . BENE . MERENTISSIMO
NEAPOLITANI . PARENTANT

In interiore templi parte

Supra fores

FERDINANDVS . I.

KAROLI . III. HISP. ET . IND. REGIS . CATHOLICI . F.

NONVM . AGENS . ANNVM

VTRIVSQVE . SICILIAE . ET . IERVSALEM . REX . SALVTATVS

OBIIT . III. NON . IANVAR, AN. PIACVLARI . MDCCCXXV.

AET. AN. LXXIII. M. XI. D. XXIII.

VIVIT . IN . OMNE . AEVVM

In utrisque lateribus

I.

S. FRANCISCO . A . PAVLA . PRODIGIIS . INSIGNI

SACRA . AEDES . BASILICE . EXCITATA . EX . VOTO

II.

MAXIMO . CVM . CATHOLICAE . RELIGIONIS . BONO

CONVENTVM . INITVM . CVM . PIO . VII. PONT. MAX.

III.

LIBERALES . ARTES . AC . SEVERIORES . DISCIPLINAE

REGIA . MVNIFICENTIA . IN . SPEM . VETERIS . GLORIAE

REVOCATAE

IV.

NEAPOLITANA . GENS . OBVIAM . EFFVSA

PRINCIPI . INDVLGENTISSIMO . REDVCI . AN. MDCCCXV.

V.

OPPIDVM . CVI . A . SANCTO . LEVCIO . NOMEN

INCOLIS . REFERTVM . OPIFICIBVS . INSTRVCTVM

VI.

ITINERA . STRATA . INDIGENAE . MERCES . FORAS . ASPORTATAE

MAGNO . CVM . MERCATVRAE . COMMODO

Inter structiles columnas hinc, et illinc.

I.

BENEFICENTIA . LENITATE . SERMONIS . FACILITATE
POPVLOS . SIBI . SVBDITOS . DEVINCIT
CONSILIO . INDVSTRIA . PROVIDENTIA
HOSTIVM . IMPETVM . ET . APPVLSVM
AB - SICILIA . VIRILITER . PROHIBET
NOVARVM . RERVM . MOLIMINA
OPPORTVNE . COMPESCIT . EVERTIT
PRINCEPS . IMPERIO . NATVS

II.

AVITAE . RELIGIONIS . AEMVLATOR
NEMINI . PIETATE . SECVNDVS
NVMQVAM . ADVERSIS . FRACTVS
NEQVE . PROSPERIS . REBVS . ELATVS
IN . TAM . DIVTVRNO . PRINCIPATV
PVBLICA . SEMPER . COMMODA . CVRAT
POTENTISSIMORVM . PRINCIPVM . FOEDERE . ILLVSTRIS
REX . SVIS . CARISSIMVS . OMNIBVS . PROBATISSIMVS

In zophoro aediculae sepulcralis:

Virtutis quantum nox uno in funere claudit!
Illico ferali complentur ut omnia luctu!
Aetna tonat latebris, strepit, immugitque Vesevus,
Aufidus, et moestâ Sebethos refluit undâ,
Parthenopes gemitu responsant claustra Pelori.

In honorario tumulo ibidem collocato:

IN . VRNA . CINERES . IN . FASTIS . NOMEN

INSCRIPTIONES

In MARIAE ALOISIAE BORBONIAE hic in Urbe defunctae amplissimo, ac magnificentissimo funere ad sanctorum XII. Apostolorum.

In templi fronte:

MARIAE . ALOISIAE . BORBONIAE
LVCENSIVM . DVCI
KAROLVS . LVDOVICVS
PARENTI . AMANTISSIMAE
MOERENS . IVSTA . SOLEMNIA

In primâ interioris templi parte.

Supra fores:

MARIA . ALOISIA
KAROLI . IV. BORBONI
HISP. ET . IND. REGIS . CATHOLICI . F.
LVDOVICI . I. ETRVRIAE . REGIS . VXOR
NATA . AN. XLI. M. VII. D. VII.
DECESSIT . III. ID. MART. AN. MDCCCXXIV.

In quatuor funerei pegmatis lateribus:

I.

MIRA . IN . DEVM . PIETATE
IMPENSO . IN . CATHOLICAM . RELIGIONEM . STVDIO
PERPETVO . IN . PETRI . CATHEDRAM . OBSEQVIO
PRINCEPS . FEMINA . IN . EXEMPLVM . NATA

II.

ADOLESCENS . VIRO . ORBATA
TOTA . IN . OPTIMA . FILIORVM . INSTITVTIONE
ET . IN . REGNI . PROCVRATIONE
SVI . MAGIS . QVAM . ALIORVM . DOMINA

III.

IMPERIO . LENI
ADITV . FACILI . ALLOQVIO . BENIGNO
PROLIXA . IN . ORPHANOS . ET . EGENOS . NATVRA
OMNIBVS . PROBATISSIMA

IV.

HINC . ATQVE . ILLINC . EIECTA . MVLTIMODIS . VEXATA
DIVTVRNI . MORBI . CONFLICTATA . MOLESTIIS
ANIMO . SEMPER . VIRILI
SPECTANS . CORONAM . GLORIAE

Principis Feminae cadaver Româ asportatum Lucam, eòque pervenit IV. Idus Apriles anni ejusdem emortualis. Tum verò pridie Idus proximas magnificentissimum, ac verè regium celeberrimo cum omnium ordinum concursu instauratum funus in templo Cathedrali Lucensi, ubi perelegantes appositae honorariae inscriptiones ab eruditissimis viris elucubratae, et laudatio funebris habita ab Presbytero Dominico Bertinio doctore decuriali Philosophiae in Regio Lyceo, qui moriens magnum sui desiderium reliquit.

Ad ALOISIAM KAROLINAM BORBONIAM post gravem morbum sanitati restitutam exeunte Februario an. MDCCCXX.

ALOISIA . KAROLINA . BORBONIA

VIRGINE . MARIA . ET . CAMILLO . DE . LELLIS
DEPRECATORIBVS
ATQVE . HIPPOCRATICAE . ARTIS . PRAESIDIIS
OPPORTVNE . ADHIBITIS
E . GRAVI . MORBO . MATVRRIME . RECREATA
AVGVSTAE . GENITRICI
PIENTISSIMAE . ET . AMANTISSIMAE
REGIA . ADOLESCENTVLA . FILIA . CARISSIMA
SOSPES . REDONATA . EST
EX . PVBLICO . VRBIS . VOTO

Neptis haec KAROLI IV. Regis Catholici , ut pote orta ex MARIA ALOISIA BORBONIA Lucensium Duce, et filiâ Regis ejusdem. Nunc vero nupta MAXIMILIANO germano fratri ANTONII CLEMENTIS Saxoniae Regis . Femina verò princeps morum probitate , ingenii acie , prudentiâ , modestiâ , sermonis affabilitate omnibus quam maxîme probata .



PRINCIPI . EMINENTISSIMO

IOANNI . FRANCISCO . FALZACAPPAE

S. R. E.

PRESBYTERO . CARDINALI

TITVLO . BASILICAE . FONTIS . OLEI

PATROCINIVM . AVSPICANTI

COLLEGI . PHARMACEVTÔN

AD . SANCTI . LAVRENTI . IN . MIRANDA

FORO . ROMANO

VI. ID. SEXTILES . AN. MDCCCXXIX.

CONSVLES . ET . HETAERIARCHAE

OBSEQVI . ET . GRATI . ANIMI . CAVSSA

EPIGRAMMA.

Exspectatus adest doctrinâ insignis, et ostro,
  Relligione tamen clarior ecce micat.
Incorrupta fides olli, et mens provida rerum,
  Tam placidi mores, tantus in ore decor.
Est aditu facilis, congressu comis in omnes,
  Scilicet aspectu, colloquioque beat.
Ergo veni, Princeps: Te Praeside, Teque Patrono,
  Spes nempe, ut nostrum fervere possit opus,
Quò citiùs pellant medicatis pharmaca succis
  Morbos, et subitam sentiat aeger opem.
Quas Tibi nunc agimus grates, quas semper agemus,
  Excipe, et exiguum pignus honoris habe.

Ad ALOISIVM TOGNIVM

cum e letali morbo convaluerat ineunte Februario an. MDCCCXXIX.

ALOISIO . TOGNIO

EX . CC. RR. MINISTRANT . INFIRMIS

CENSORI . AD . EPISCOPATVM . PROVEHENDOR.

HAERETICAE . PRAVITATIS . ΕΞΕΤΑΣΤΗ

QVOD

DEO . AVSPICE

DEI . GENITRICE . ET . CAMILLO . DE . LELLIS

SVFFRAGANTIBVS

HIPPOCRATIS . AEMVLIS

OPPORTVNA . QVAEQVE . ARTIS . PRAESIDIA

TEMPESTIVE . CONFERENTIBVS

AMICIS . ASSIDVITATE . ET . OPERA

DIV . NOCTVQVE . ADIVVANTIBVS

EX . CAECO . ET . LETALI . MORBO . RECREATVS

VIRO . INGENIO . DOCTRINA . PRVDENTIA . COMITATE

CVIQVE . CARISSIMO

OMNI . EX . ORDINE . CIVES . VOTI . COMPOTES

GRATVLANTVR . PLAVDVNT

ET . DIVTVRNAM . ANNORVM . SERIEM . AVGVRANTVR

Excipe, quae tantum potis est tibi mittere, TOGNI,
Qui nihil ingenio, qui nihil arte valet.
Est indocta quidem, nullo et laudabilis umquam
Nomine, crede mihi, sed dat amica manus.
Scilicet illius, qui aevi te flore nitentem
Edocuit, quidquid Tullius ipse docet.
At nunc confectus senio, morboque laborans
Dimisit Musas, deposuitque stilum.

ELEGIA

DEI GENITRICIS EIVSQVE SPONSI

PATROCINIVM

Poeta ab hinc quatuor annos caeco, molestoque morbo laborans humili prece implorat.



Dum mea crudelis torquebat viscera morbus,
  Nec requies misero nocte, dieque datur;
Tentavi, fateor, persaepe Machaonis artem,
  Praesidii expertus quidquid et illa docet.
Omnia sed frustra; nullum mihi quippe levamen,
  Spes concepta diu tota salutis abit.
Tunc supplex tremulas tendens ad sidera palmas,
  Rectiùs effudi vota, precesque Deo.
Nec satis: auxilio Superos ego quosque vocavi,
  Si faciles vellent ferre potenter opem.
Ac primum, quae longe omnes supereminet una
  Alma Dei Genitrix, virgo, parensque simul.
Tum qui selectus custos Sponsaeque, Deique,
  Quem superâ omnipotens misit ab arce Pater,
Ut mortale genus mortali indutus amictu
  Daemonis e diro solveret ille jugo.

Adsis o! Regina potens terrâque, poloque,
Neve meas, quaeso, sperne benigna preces.
Tu mihi praesidium, spes tu fidissima nostri,
Exorata pias porrige, Virgo, manus.
Sis quoque propitius, Tu, cui (mirabile dictu!)
Aeternae sobolis tradita cura fuit.
Quid metuam, si rerum ambo tutela mearum,
Placati, spero, vultis adesse mihi?
Vos equidem supplex iterumque, iterumque vocabo,
Dum vestro tamdem numine sospes ero.
Atque utinam voti compos persolvere grates!
Atque utinam videar munera digna dare!
Ut reliquum placidè possim traducere vitae,
Supremumque dein laetus obire diem.



PROLVSIO

HABITA IN COLLEGIO ROMANO

INEVNTE ANNO SCHOLASTICO MDCCXCVI.

Scholae Fastidia.

In nostrum properans tendebam ex more Lyceum,
Nescio quid meditans, memini si fortè, molesti,
Cum me compellat quidam nec nomine notus,
Arreptâque manu, sic ut diffringere vellet:
O ! quid agis, quo tendis, ait, dulcissime rerum?
Siste gradum; talos nam mox tibi sudor ad imos
Manabit, diram valeat qui adducere febrem.
Mirari tacitus: verum ne fortè viderer
Rusticus, o nimium, subito responso, benigne!
Et simul accelero; jam quippe advenerat hora,
Cum juvenum turmae volitant haec atria circum,
Sive alias tentare juvat nugasque, jocosque.
Ille autem assectari, instare, et me usque tenere,
Dum ventum ad limen. Subridens, inquit, amice,
Haud malè te dicam nunc terque, quaterque beatum':
Namque tibi ex paucis, non fallor, contigit uni
Hìc curis vacuam tranquilla per otia vitam
Ducere: scilicet immensus docuisse puellos
Est labor, et magnâ semper dominarier aulâ.
Quid clamosi adeunda fori si jurgia? quidve
Si foret alterius pendendum semper ab ore?
Nam neque nunc memorem, quae multa pericula miles

Saepe subit, captet tenues ut nominis auras;
Vel quae mercator saevo jactatus ab austro,
Dum sibi longinquis quaerit compendia terris.
Hic non parva mihi, fateor, jecur urere bilis,
Plura etiam tacitus jam respondere parabam,
Sentiret tamdem, se nil nisi inepta loquutum.
Quid facerem? silui: multorum scilicet unus,
Omnes despectant, suspendunt qui omnia naso,
Et quos, cum semel insedit sententia menti,
Numquam dimoveas. Tantum, jam perge parumper,
Addo, nec pigeat saltem nunc cernere coram,
Quam leve sit munus, quantum simusque beati.
Subsequitur, ridetque manum considere scamnis
Cum videt hic juvenum: magis, ac magis ille beatos
Nos vocat: en hilaris circumstat namque corona.
Sistimus: haud mora, divisos stridere susurros
Audit, nec leviter mox clamitat unus, et alter,
Aut socio irridet, saepe et convicia nectit,
Aut se culpatum quaeritur nil tale merentem,
Supploditque pedes frendens, vellitque capillos
Igneus, et totam complet clamoribus aulam.
Nec satis: hic nictat, distorquet et ora cachinnis:
Vix potis est alter limbo compescere risum,
Muscas dum fallit, plumas quae deinde sequaces
Ducant, linteolo curat vel fingere murem,
Atque alios alii joculos agitantque, struuntque,
Possint ut semper, quae seria, vertere ludo.
Siccine? tunc ille: haud equidem me talia rebar
Cernere: discedam, quippe haec fastidia vexant,

Et dolet e strepitu caput. Ecquid, dic age, sodes,
Inquam, forte tibi si ex ortu solis ad umbram
Tam tenuis labor, aut haec otia blanda ferenda?
Quid porrò pueri si in vitia prava ruentes,
Nec minima est turba, aetatem jam vincere certent
Nequitiâ, foveantque, heu! dirum corde venenum,
Haeserit ut penitùs miseris letalis arundo?
Crede mihi, spes tu semper moliris inanes,
Poeniteat coepti: mirum si contagia pestis
Non serpant, sanos tabes nec lurida tangat.
Adde modo ingratas multorum saepe querelas:
Scilicet haud dubitant vitio doctoribus usque
Vertere, si pueros nec prima elementa loquendi,
Nec quidquam didicisse vident, plerumque parentum
Dum culpandus amor, turpisque incuria prolis.
Nam quid agat doctor tum, cum nihil aemula virtus,
Nil laudis stimulus, monitus, nil verbera prosunt?
Ille sub haec: Fateor, non parvo errore tenebar:
Nil habeo, quod dicam. Extemplo sternuere omnes,
Ingentique simul strepitu jam emungere nares.
Tum vero scamnis chartae, graphiaria, libri
Excussi in terram magnam fecere ruinam.
Haec onerant aures, reboat namque undique fornix.
Ah! quis me furor, aut quae me dementia cepit?
Tunc ait, iratusque fugit mox ocior euro.



PROLVSIO

HABITA IN COLLEGIO ROMANO

INEVNTE ANNO SCHOLASTICO MDCCCI.

ODE

Ad adolescentes, ut intermissa studia acriùs repetant.

Quae me nunc subitò vis rapit acrior,
Ut dudum residem tendere barbiton,
Enitarque humilis carmina ducere
Dircaeae ad numeros lyrae?
Vester me, juvenes, vester amabilis
Coetus sollicitat; viribus audeo
Majora, insolito scilicet ociùs
Afflor numinis impetu.
Vos o! laudis amor, vos simul aemula
Virtus exacuat; ludrica mittite,
Amotisque jocis seria quaerite,
Artes quaerite Palladis.
Numquam Pierii visere culmina
Montis vos pigeat; ferte per ardua
Pindi ferte pedem, castaliâ comas
Vestrum cingere laureâ.
Tum quos eloquii volvite principes
Jactat Roma potens, cultaque Graecia,
Fractis praesidium rebus, idoneos
Belli reddere ferias.
Regum alter validos contudit impetus,
Alter tela, faces, funera moenibus

Amovit patriis ; hinc decus , hinc opes ,
Nomen crevit et imperî .
Olim quae fuerint Socraticae domus
Scita , et quae Sophiae nunc penetralia
Tentans turba recens , pleniùs edocet ,
Spes o maxima patriae ,
Vobis nosse decet , discere clarior
Cur nunc luna micet , lumine palleat
Nunc defecta novo , litora verberet ,
Vel mox territa refluat
Siccis unda vadis , excita sedibus
Nutet terra suis , edita montium
Abruptis feriant fulmina nubibus ,
Sol cur temperet omnia .
Quid vicisse labor non potis improbus ,
Aevi flore nitens Romulidum cohors ?
Quid , quaeso , ingeniis usque feracibus
Cunctis non valet artibus ?
Quid nunc ingenuis non valet artibus ,
Si jam tergeminâ cingitur infulâ ,
Doctis qui tribuit praemia frontibus ,
Gentis delicium PIVS ?
Hunc propter meritis fulget honóribus
Virtus , pura fides , nudaque veritas ,
Seu cum sceptra gerat , credita seu velít
Caeli pandere limina ,
Tanto , Romulidae , plaudite Principi ;
Hunc summis, juvenes , tollite laudibus ;
Mecum quisque canat carmine SEPTIMVM ,
Mecum concelebret PIVM .

PROLVSIO

HABITA IN COLLEGIO ROMANO

INEVNTE ANNO SCHOLASTICO MDCCCXV.

De M. Tullii Ciceronis laudibus.

Dulce sub autumno, mihi credite, dulce Lycei
Cessantem strepitu, ingratoque labore puellos
Moribus, ac studiis ex ortu solis ad umbram
Formandi, patrii remeare ad limina tecti,
Visere et umbrosos colles, ulmosque racemis
Obductas, patulis saepe et spatiarier arvis.
Hic ego difficilis dum grata oblivia vitae
Ducebam, caeli, ac ruris dulcedine gaudens,
Non semel alterno curas sermone levabam
Cum fratre, ac socio, quo non devinctior alter,
Quippe pilâ, celerive trocho, jam lusimus ambo,
Et rigidum pueri plures toleravimus annos
Doctorem. Properis quondam devenimus unâ
Passibus, abruptas rauco quâ murmure lapsus
Per rupes, cultos leni rigat agmine campos
Fibrenus, partesque dein diductus in ambas
Confluit, ac tacitis in Lyrim volvitur undis.
Cespite tum viridi fessi consedimus omnes,
Et prior hic socius: Cernin, ut plurima circum
Vimina praetexunt ripas! ut populus illic,
Hic celebs platanus, laurique, alnique vicissim
Consociant ramis umbras, gratumque recessum

Ut procul a turbis haec vasta silentia praebent!
Nec male tu silvas Academi dixeris hasce,
Frater ait: Romae strepitum, populique tumultum
Scilicet interdum fugiens, hìc Tullius olim
Fallere Socraticis suetus sermonibus horas.
Nec dubitare licet: remanent vestigia ruris:
Nam queis haec templi moles nunc surgit ad astra
Saxa, columnaeque, eversae sunt rudera villae (1).
Quid non consumis rebus damnosa vetustas?
At quae longa dies memori te deleat aevo,
Tunc ego; quisve tuas, Tulli, non dicere laudes
Gestiat, immortale decus, columenque Senatus,
Et latii pater eloquii? Nam fluminis instar
Nunc ruit immensus facundo Tullius ore,
Pectora nunc mulcens compescit melleus iras.
Quis potior populi moderari, et vota Senatus?
Judicum et in miseros potior quis flectere corda?
Nempe armis victa, hunc propter se Graecia victam
Sensit et ingeniis, nec dein Demosthenis artem
Ausa, neque ingentem turbam jactare Sophorum:
Illa quod edocuit, pandit nam pleniùs iste (2).

---

(1) Locus hic non procul Arpino, et Sorâ, eumque Fibrenus alluit, ut graphice describit Cicero initio *Lib. II. de Legibus.* Nunc vero aedes sacra BEATAE VIRGINI, et Monasterium excitatum paulo post an. M. a sancto DOMINICO Abbate, qui natus annos ferme octoginta sub an. MXXXI. miraculis clarus ibidem obdormivit in Domino, ac sepultus est.

(2) Quidquid graeci Philosophi excogitarunt, id omne Ci-

O! memini, dilecte comes, tunc addidit alter,
Me totum exarsisse animis, actumque furore,
Dum puero discenda mihi, quae fulmina torquet
Tullius, ut patriis, quas jam Catilina pararat
Moenibus, arceret tecnas, incendia, caedes (1).
Quid? tum frater ad haec, tibi si exaudire tonantem
Forte datum eloquio, et miscentem voce Senatum?
Nonne vides, Rulli quam mirâ detegat arte
Ipse dolos (2), sedetque unus mutabile vulgus (3)?
Caesaris et tristes interdum temperet iras (4)?

cero in suis de Philosophiâ operibus tam fusè, tam perspicuè, eâque sermonis venustate, et copiâ dicendi refert, exponit, ut nihil magis.

(1) Nimirum Tullius oratione primâ in Catilinam habitâ in Senatu, ac plenâ animi, et furoris, adeo eum perterruit, ut proximâ nocte Româ discedens in Manliana castra contenderit.

(2) Oratione praesertim secundâ de lege Agrariâ in Rullum Tribunum plebis ejus legis latorem ita invectus, legemque ipsam tantopere improbavit, ut populus omni privato commodo posthabito, legem ipsam rejicere haud dubitaverit.

(3) Plebem concitatam, ac tumultuantem ex lege Rosciâ latâ ab L. Roscio Othone, quâ equitibus Romanis in quatuordecim gradibus assidere separatim ab aliis in theatro licebat, tam appositè, ac vehementer in aede Bellonae Tullius alloquutus fuit, ut eam statim sedaverit, immo etiam adduxerit, ut plausibus, festivisque clamoribus Othonem ipsum prosequeretur. Atque hoc tam insigne Ciceronis factum spectasse putatur Virgilius in similitudine, quam profert, gravis cujusdam viri, qui dicendi copiâ populi turbas compescit, ac dissipat: *Aeneid. Lib. I. v.* 152. *et seq.*

(4) Ligarium scilicet eo artificio, et eloquentiae vi apud

O utinam ! tanti numquam praecepta magistri
Postera rejiciens aetas, nec adorta volatum,
Neve novum tentasset iter : non copia fandi,
Nec tantum ingenuae doluissent protinùs artes.
Haec ego, cum subitò cupientem dicere plura
Abrumpit socius : Nobis quid talia frustra
Nunc memoras? veterisque refers quid temporis acta?
O mage nostra, comes, nunc lamentabilis aetas!
Aspice, ut eloquii virtus, ut Palladis artes
Armorum strepitus inter, sonitusque tubarum,
Inter damna, metus, turbas, incendia, caedes
Despectae jaceant, certamque ubi ponere sedem
Vix habeant : cuncta haec nostrum sic diruit aevum.
Ast ego : Tergeminâ redimitus tempora mitrâ
Nonne PIVS? qui nunc caelestis Janitor aulae,
Romanaeque decus cathedrae jam promovet artes,
Frontibus et doctis meritos largitur honores;
Virtutis sanè custos, magnusque patronus.
Quid metuant artes? tanto quid Principe Roma?
Sol ruit interea : Quid statis? surgite, frater
Inclamat : grato hic nobis sermone licebit
Cras etiam vacuae solatia quaerere vitae.
Pergimus, et multâ jam nocte revertimur omnes
ARPINUM, patriaeque simul, tectoque subimus.

Caesarem Tullius defendit, ut Caesar ipse commotus, et clapso e manibus stilo, quo Ligarii poenam decernere constituerat, eum absolutum dimiserit.

PROSOPOGRAPHIA

Eorum, qui in corporis ornatu nimiae diligentiae student.

Tanta, tamque multiplex summorum virorum labore, curâ, industriâ ad rem litterariam universam accessio facta est, ut optimae quaeque artes, et disciplinae ad quamdam veluti maturitatem jam pervenisse, neque quidquam omnino in posterum timere posse videantur. Utinam tamen ita se res haberet! At si quis cordatus paullulum modo circumspiciat, nonne tam mollem, et delicatam vitae rationem in dies invalescere perspiciet, quâ et mores in deteriùs ruant, atque unâ simul litterarum, atque optimarum artium studia, quae adhuc vigere visa sunt, penitùs tamdem jaceant necesse sit? Quotus enim quisque nunc reperitur, cujus paene omnis industria vitae, et vigilandi labor in victu, cultuque corporis expromi non videatur? Sit lauta, et peregrina supellex, sint conquisitae epulae, sint arte elaboratae, et in dies novatae vestes, compositi ex more capilli, sint unguenta, sint odores. Viri nempe ipsi, iidemque constantis etiam, et ingravescentis aetatis vestiti, ornati ut concinnè! ut molliter! ut novè! Inspice, quaeso, turrito, aut pyramidato pileo, farto, rigentique focali, unde pellucidus prominet lapil-

lus, arctâ, et refugâ veste, eâdemque ad pectus gossipio, vel stupâ turgente, muliebri sane thorace ad elegantem totius corporis incessum, demissitiis, sinuosisque femoralibus, ocreis micantibus, ferreisque clavis instructis, rideret utique Heraclitus ipse; simul et tonso, cristatoque capillo, contractâ fronte, elato supercilio, pilosis genis, inflatis buccis, ore, mentoque composito, et nodoso dexteram subeunte bacillo, severos ut putes esse Catones, vel potiùs aenea incedere signa, quae pedibus obstrepunt, et varios spirant undique odores.

Quid porrò recentes isti urbani, quos, si audias, negotiosos sane homines, si verò penitiùs intuearis, in nihil agendo dixeris occupatos? Num quis recens invectus mos? num qua nova cultus ratio? num quae solatia, joci? De his totos disputant dies: haec vestigant, odorantur. Juvat et noctem ducere ludo, et in medios dormire dies, et ad sonitum citharae fingi artubus, et motus etiam doceri Jonicos, possint ut traducere tempus, variare voluptatem. Atque haec omnia cum molliunt animos, tum etiam non levia valetudini incommoda pariunt, tametsi novae corporis curandi, medendique rationes in dies proferantur, rectè, an secùs, alii viderint, ego certe quidem nescio: hoc tamen scio, horum mentes cum tot distineantur nugis, minùs jam idoneas reperiri, quae optimarum artium, severiorumque disciplinarum commodis inserviant. Et certe quae nunc vulgo viget do-

ctrinae cupiditas, nonne eo paene tota recidit, ut veteribus linguis aut omnino neglectis, aut primis vix labris degustatis, non ex fontibus, sed ex rivulis nescio quibus jejuna quaedam, et solivaga eruditio hauriatur, quà non nostrates modo Aspasiae, sed viri quoque ipsi vel in conviviis, vel in circulis ingenium venditent, omni de re disputent, eruditu li videantur?

Age jam, quid juventus his orta parentibus? quid adolescentes ex tam molli disciplinâ producti, quae *nervos omnes*, clamat vel ipse Quintilianus, *et mentis*, *et corporis frangit*? Censes ne eos futuros, qui in bonarum artium, et reconditarum disciplinarum studia pro viribus incumbant; qui earum commoda proferant; qui eas summâ cum laude posteris tradant, quos cum videris, Charitum citiùs alumnos, quam Musarum putes cultores? Cave potius, tot deliciarum illecebris cum sint deliniti, ne haereat persaepe lateri letalis arundo, prorsus ut omne nefas de tenero meditentur ungui, quodque gravius, exemplo trahenti perniciem veniens in aevum, sint mox daturi progeniem vitiosiorem.



Prosopographia haec desumpta ex oratione in studiorum instauratione habitâ in Collegio Romano XIX. Kal. Januarias an. MDCCCIII., quâ Orator nimis mollem, ac delicatam vitae rationem bonis

artibus, et disciplinis planè exitiosam esse ostendit. Cum verò mos hic novetur in dies, vel potiùs horas, Orator idem, ut amico morem gereret, qui eam prelo committere cupiebat, demptis, quae progressu temporis jam obsoleverant, ea indidit, quae vigebant an. MDCCCXXIV., cum typis evulgata. Nunc verò haud ingratum Lectori fore putavit, si quae in oratione apposita, quaeque nunc pro tempore immutanda, addenda, hìc subjiceret.

I. *In oratione*: Levibus ocreis, aculeatis calceis, pedemque urentibus, mento obvoluto, delicato sanè, ac muliebri incessu.

II. *Nunc verò*: Pileo elastico, qui, cum libeat, aliquantulum compressus speciem exhibet vel tertium lunae referentis ortum, vel lintris, pulsâ qui per vada pergit aquâ.

Duplici conspicillo, atque etiam horologio, singulis vel catenulae metallicae, vel serico lemnisco ex humeris transversum pendenti alligatis, et in interioris tunicae manticulâ repositis, ut Agamemnonem aliquo pacto imitari videantur, qui balteo ex utroque humero ante pectus decussato, altero quidem ensem, altero verò clypeum gestabat.

Pilis tum in superiore labro, tum in menti gutture succrescentibus, ut Satyros potiùs, quam urbanos homines appelles; tametsi mussitare audias, quod turpis sine frondibus arbor, turpis equus, nisi colla jubae fluitantia velent.

Linteis aestivo tempore ocreis, acutisque calcaribus, quasi illicò in Americam profecturi.

Sunt et qui urbe vagantes vel quid nugarum cantitent, vel ineptas lectitent chartas, saepiùs verò tortilis *tabaci* fumum haustum ore remittant, veluti totidem myrobrecharii, qui tamen non suavem, sed graveolentum spargunt undique odorem, vel saevam etiam exhalant ubique mephitim.

RISVM TENEATIS AMICI.



FINIS.

INDEX.

EPISTOLA nuncupatoria . . . pag. 3
ORATIO de Maria Virgine in caelum evecta . 5
. . . . *de die festo omnium Sanctorum* . 11
. . . . *de die natali sancti Joannis Baptistae* 16
INSCRIPTIONES in funere PII VII. Pont. Max. 21
. . . . . *in funere FERDINANDI I. utriusque Siciliae Regis* 23
. . . . . *in funere MARIAE ALOISIAE BORBONIAE* 26
Ad ALOISIAM KAROLINAM BORBONIAM e gravi morbo recreatam 28
EPIGRAMMA de viro Emo JOANNE FRANCISCO FALZACAPPA 29
Ad ALOISIUM TOGNIUM 30
PROLUSIO habita anno scholastico MDCCXCVI. 33
. . . . *habita anno scholastico MDCCCI.* . 36
. . . . *habita anno scholastico MDCCCXV.* . 38
Prosopographia eorum, qui in corporis ornatu nimiae diligentiae student. . . . 42



NIHIL OBSTAT

Fr. Angelus Vincentius Modena Ord. Praed. in Romano Archigimnasio Professor Censor Theol.

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Buttaoni Ord. Præd. S. P. A. M. Soc.

IMPRIMATUR

J. Della Porta Patriar. Constantinopolit. Vicesg.